



Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

1762,1
SALTATIONE
SANITATEM CONSERVANTE,
MORBOS INDUCENTE, INDICANTE,
CURANTE,

QUAM

EX DECRETO ET AUTHORITYTE
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA ARGENTORATIENSIVM
UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOSEPHUS LUDOVICUS DORER,

BADENSIS - HELVETUS,

DIE XXVII. NOVEMBRIS A. R. S. MDCCCLXII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, ex Officina Universitatis Heitziana.

ina-
erbis
ultis
om
ntes
en-
re-
am.
ex-
m-
am
ri,
ous
fe-
a-
ti-





PROOEMIUM.

Non dubito fore nonnullos, qui me levitatis arguent, cum fortasse legerint, me ex omni Medicina Saltationem in thema Medicæ Dissertationis delegisse. Olim enim jam fuere, qui sive ex ignorantia, aut rudi morum asperitate, sive ex avita Patriæ consuetudine, vel ex ambitiosa singularis virtutis simulatione venustissimam artem conviciis notavere. Attamen si rem ipsam, sive ut Philosophos decet, sive ut Medicos, perlustramus; adeo neque dignitati hominis, neque corporis sanitati detrimento est Saltatio, ut ad eam quasi à natura stimulemur; & quoniam læte per eam corpus exerceatur & afficiatur, ad hominum etiam salutem conservandam confirmandamque contribuat. Verum enim vero, *quod caret alterna requie, durabile non est,* choreæ ergo atque tripudia, si nimium iis indulgetur, graves excitant morbos, mortemque maturant. Præterea motus saltatorii morbos alios indicant, aliis solamini sunt, atque medelæ; Saltatio ergo in diæticis non tantum, sed in tota etiam,

qua longe patet, Medicina cum imperio atque potestate versatur. Hæc ergo Vincula, quibus arti salutari choreæ conjunguntur, præcipua selecti thematis ratio, unica laboris quamvis levissimi excusatio.

§. I.

Saltatio ^{a)} est illud corporis exercitium, juxta quod incessus & saltus, corporisque gesticulationes, totusque ejus habitus cum quadam venustate eum affectum exprimunt, ad quem vi Musices ^{b)} sensorium commune, animusque determinantur.

^{a)} Saltationem ergo & incessus Saltusque, quibus in vita communi homines utuntur, dignoscere facillimum. Saltatoriorum enim gressuum & Saltuum series velocitatis summam gradumque habet à tonorum Musicorum intensitate, numeroque, & ab iis quasi mensuram accipit; sive nunc ista Musica ope instrumentorum, sive cantu fiat, sive sensorium commune tacitam sibi Musicam fingat, per quam artus ad tripudia & choreas sollicitantur. Sedatius vero est incedendi genus, quod à Musica vacat, quod, licet etiam suas remissiones & intensitates ab anima diversis rationibus agitata accipiat, tamen absque concentu & harmonia fit, & tumultuarium magis videtur.

^{b)} Sensorii communis ideam claram nobis dedit HALLERUS in *Comment. in BOERH. Institut. T. IV. p. 415. n. a.*

§. II.

Ab omni tempore, quo homines exstiterunt, à rerum externarum sensationibus jucundis, vel ingratis bene etiam, vel male anima affecta fuit. Anima vero mutata, per harmoniam quandam nullo modo

modo explicandam, & corpus mutari, atque motibus analogis & proportionatis animi commotiones a) indicare, ab omni etiam ævo fuit observatum. Aliter enim vox inflectitur, dum mœrore atque tristitia, aliter, dum gaudio, lætitiæque percutimur. Alius est corporis habitus, alii sunt gestus, alius incessus, quum voluptate, alii penitus, dum dolore & molestia afficimur. Hæ vocum, incessuum gestuumque vicissitudines, quibus animus suas affectiones corpori imprimit, primæ Musices & Saltationis origines fuerunt.

a) Quilibet affectus animi peculiari modo corpus commovet. Non raro tamen, præcipue si violenti sunt, corpus ita afficiunt, ut gravissimos etiam morbos inducant, imo interimant. Quod autem singulare penitus videtur, illud est, quod non raro à magnis animi commotionibus homines gravissimis morbis laborantes, convaluerint. Vid. PECHLINUM *Obs. L. III n. 25.* Non tamen à scopo nostro penitus alienum videtur, eos effectus proponere, quibus præcipue animi commotiones sese in humano corpore demonstrare solent.

Ira motum Spirituum valde exagitat, cor ad majores contractiones incitat, hinc Sanguinis circulum auget, respirationem intendit, excretiones bilis præcipue, salivæ, imo lacrimarum accelerat.

Ora tument ira, nigrescant Sanguine venæ.

Lumina Gorgoneo sevis angue micant.

OVID. *L. III. de Art. Amand. v. 503.* hinc apoplexiæ ab ira A. N. C. *Dec. I. Ann. I. Obs. 69. p. 170.* Cephalalgie lethales *ibid.* rupta cicatrix arteriæ obturata, & inde mors HILDAN. *Epist. l. p. 958.* à vulnere cranii pene restaurati ab ira vehementi mors. *ibid.* Sanguis menstruus in mammis propulsus, & ex papillis effluens. STALP. *von d. Wiel. Obs. cent. l. obs. 79.* Non raro tamen & boni sunt iræ effectus, ita mutus ab ira vocem accepit *Act. Hafn. T. I. n. 71.* paralysis per eam sanata A. N. C. *Dec. II. A. V. app. pag. 23.* CLAUDERUS etiam senioribus iram profuisse, refert. *ibid. p. 392. Obs. 196.*

Terror affinis iræ affectus est. Cranii suturas per terrorem separatas observavit STALP. *l. c. Obs. I. cæcitatem & epilepsiam generasse*

nerasse in *A. N. C. Dec. III. A. V. A. VI. Obs. 28. p. 65.* mor-
temque attulisse *ibid. A. III. Obs. 29.* legitur. Magnis tamen
morbis præfidio sapius esse, *ibid. A. IX. & X. Obs. 57. & 213.*
p. 384. recensetur, Epilepsiæ eo curatæ fuerunt, nec non febres
atque paralyses. C. HOFFMANN, *de Tborace p. 72.* & podagra
BOERHAAVE *de utilitate Phil. Exp. p. 282.*

Metus vim muscularem debilitat, Sphincteres resolvit, inspira-
tiones auget, exhalationes minuit, stagnat in extremis vasorum
sanguis, infinitæ cordi resistentiæ opponuntur, hinc palpitatio, pul-
sus debilis fit, anxietas præcordiorum, respiratio anhelosa, sudo-
resque frigidi enascuntur. Hinc OVID. *Epist. heroid. IV. v. 132.* canit: *Vires subtrahit ipse metus.* Tamen eo febrem chro-
nicam curatam fuisse legimus in *A. N. C. Dec. III. A. II. app. p. 256.*

Quis autem crederet, gaudium & mœrorem affectus ex diame-
tro, ut ita dicam, oppositos similibus interdum signis prodire, &
pari ratione humanum corpus mutare; Neque enim exempla de-
sunt, homines à lætitiâ in lacrimas erupisse, & à subito gau-
dio confectos fuisse. Vide hujus infortunii exempla apud KAV
BOERHAAVE *imp. sac. p. 432.*

Alias autem & mœror & gaudium peculiaribus indicîis sese in
corpore quoque manifestant. Mœrentibus enim pallor in ore se-
det, oculi submituntur, visus acies hebetatur, frigus totum cor-
pus possidet, rauca est vox, rara, submissa & tremula, suspiriis
& gemitu intercepta; Verum gaudentibus vox sonora est, celeris
atque fortis, hi os sublime ferunt, pedibus exultant, plaudunt
manibus, genæ rubent, fulgent oculi, liberior fit sanguinis cir-
culatio, vires incrementum, ut ergo, si moderatum sit, nec effra-
natum gaudium, ad sanitatem magnam conferat symbolam, &
gravia etiam mala curet, tertianam cum ictero complicatam,
PACHL. *Cent. III. Obs. 20.* partus promotus ex risu *ibid. Obs. 28.*
cerebri abscessus risu excitato feliciter ruptus BINNING. *L. III. Obs. 47.* Podagram etiam & pulmonum vomicas exinde fuisse san-
atas, legimus.

Adhuc de amore, odio, pudore, spe & fiducia, aliisque affe-
ctibus dicendum esset, nisi metus adesset, nos præscriptos Disser-
tationi terminos fore transgressuros. Conf. de iis ALEX. CAME-
RARIUS in *Dissert. Med. de efficacia animi passivatorum in negotio*
Sanitatis & morborum Tub. 1725. & STAHL *de passionibus ani-*
me corpus varie alterantibus. Hal. 1695.

§. III.

Paulatim ingenium hominum, & innata cupido, qua omnes, ut sibi mutuo placeant, rapiuntur, decorem quendam, venustatemque naturæ adiderunt, & in artis speciem^u; ut Musicam, ita quoque Saltationem composuerunt; &, licet apud alias nationes a) turpe fuerit saltare, tamen apud plures b) decori fuit & gloriæ, commode saltasse. Non enim eadem omnibus honesta & turpia sunt, sed omnia majorum institutis judicantur. Quid quod omnium fere nationum annales doceant, choreis c) Deos celebratos fuisse atque placatos d).

a) Apud Romanos quidem saltasse turpe fuisse videtur, hinc ait CICERO *Or. pro Mureu. Cap. VI.* „Nemo saltat sobrius, nisi, qui forte insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato & honesto. Tempelstivi convivii, amœni loci. multarum deliciarum comes est extrema saltatio. „ GRÆVIUS tamen ad hunc locum fuse disputat, saltationem Romæ decoram fuisse, excipientem tamen esse Histrioniam & Scenicam, quippe quæ utique ingenuo Viro indigna. De Scipione enim Africano refert SENECA *de animi tranquillit. Cap. ult.* triumphale & militare corpus ad numeros movisse, & Salii Pontifices, qui militari Saltatione Martem celebrabant, ex Patriciis seligebantur.

b) Spartani, qui inter Græcos & virtute & morum rigiditate, & bellica gloria eminebant, prælia saltantes iniere, & peculiare genus chorearum, quod trichorium appellarunt, instituire, quod & pueri, & juvenes, & senes æternis vicibus saltabant. PLUTARCH. *de laude sui Op. T. II. p. 544. Ed. Aubr.* HOMERUS etiam heroibus decori duxit, eos Saltatores vocari. Uti Merionem Idominei aurigam; nec Epaminondæ dedecori fuit, saltasse commode. CORN. NRP. *in Proœm.* neque Socrati, vid. LUCIANUM *in Dial. de Saltatione* PLATO etiam *de legibus Dial. VII. p. 835.* triplices genus saltationis facit, quorum primum bellicum est, & à primo, uti creditur, Inven ore Pyrrho seu Neoptolemo Pyrrhiche dicta fuit, hic motus imitatur flexus corporum, quibus tela plagaque

plagæque vitantur, contrariosque gestus, quibus videlicet adversus alios quidquam infertur. Alterum genus pacificum est, paci nempe conveniens, quod iterum duplex, alterum, cum pericula evasimus, & bona adepti sumus, quod cum majores contineat voluptates concitatus est. Alterum bonis prioribus servatis agi solet, in quo cum remissior sit voluptas, modestior etiam est saltandi modus. Tertium genus Bacchicas saltationes comprehendit, quod saltandi generis, quid sibi velit, facile determinari non potest.

- c) De Gymnosophistis legitur, orientem Solem choreis & tripodii colere. De Theseo PLUTARCHUS in *ejus vita* pag. 9. T. I. recenset, occiso Minotauro ex Creta Delum appulisse, ibidemque in Apollinis honorem tripodii genus instituisse, quod *Grus* appellavit. Ita in Bacchi honorem saltabant Græci *Cordacem*, *Sicindem* & *Emeliam* LUCIAN. l. c. Ita Cybelem & Jovem servatum celebrabant Saltibus Corybantes STRABO L. X. Geogr.
- d) Ita peste durante Deos sibi propitios reddere studere Romani ludorum Scenicorum institutione. LUVIUS *Hist. Rom.* L. VII. Cap. III.

§. IV.

Neque hodie magis à Saltatione abhorrent, ut & Numen Divinum a) choreis celebrare soleant, & inter nationes, quæ urbanitatem, morumque suavitatem aliquid esse ducunt, non parum laudis fit, membrorum motus ad Mulsices Rhythmos componere, & postquam gymnastica corporis exercitia obsoluerunt, commode eorum locum Saltatoria occupare videntur.

- a) CAHUSAC *Traité de la Danse*. T. I. p. 41. & seq.
- b) Inter Veteres Saltatio suos patronos invenit. LUCIANUM in *Dial. de Saltat. adversus Cratonem*, PLUTARCHUM *Sympos.* L. VIII. p. 747. T. II. Inter recentiores Medicos RAMAZINI *de princ. vales. suenda* Cap. VI. p. 739. HEBENSTREIT. *Carm. de bon. Sap. & morb.* P. III. Cap. VII. §. 9. ANDRY illos etiam arguit, qui ex inani morum Severitate metuunt, ne juvenum animi Saltatione corrumpantur. ORTHOPÆDIE Tom. I. L. III. p. 311.

§. V.

§. V.

Ita autem in themate tractando versabimur, ut ex effectibus modicæ Saltationis utilitatem, & in-tempestivæ nocumenta definiamus; tum ad analogos ei motus accedamus, qui peculiarium morborum, sive remedia, sive signa sunt.

§. VI.

Effectus autem Saltationis generales ex triplici quasi fonte prouunt, motu nimirum corporis aucto, vi Musices, & affectibus inde citatis. Ut ergo eo facilius de Saltationis in corpus vivum potestate certi aliquid pronunciare possimus, vires has speciatim exponemus.

§. VII.

Omne corpus per vim insitam *a)* ad motum tendit, & semel excitatum in infinitum moveretur, nisi perpetua ipsi opponerentur impedimenta, quibus impressæ vires infringuntur, ut tandem, extinctis omniaibus, torpidum jaceat corpus, & in otio requiescat *b)*. Vires quoque motrices in corpore vivo, cum semper agant, & ita sese habeant, ut non tantum impedimenta, quæ illis Machina objicit, superare valeant, sed ab ipsis iis obstaculis augmenta roboris accipiant, perpetua poscunt exercitia, successivasque motuum, cum mira diversitate sibi
 B invicem

invicem respondentium, remissiones & intensitates, ut hoc quasi vitæ fluxu, refluxuque inimica corporum segnities, & fatalis ignavia deleatur. Sub languido nempe sanguinis circulo partes oleosæ à reliqua humorum massa secedunt, & in cellulosum corpus effunduntur, quod omne genus fibrarum dirigit, confirmat, conjungit. Oleosa vero tum removendo fibras, quarum interstitia replent, tum unguinositate sua tonum partium naturalem debilitando, efficiunt, ut fibræ sufficiente vi sese contrahere, & debita sanguinis densitas conservari nequeat. Frictio inde globulorum sanguinis ad parietes canalium imminuitur, calor remittit, flaccescunt solida, aquea pars humorum in immensum augeatur, diffunditur sanguinis crassamentum, cordis stimuli attinguntur, obtunduntur motus secretorii, stagnat in vasis suis lymphæ c), cachexia nascitur, œdemata fiunt, hydropumque variæ species d). Verum quando corpus motu exercetur, illud sine majori nervi fluidi in fibras influxu, quo hæc ad validiores contractiones incitantur, fieri nequit; ægre tamen diuturnioris actionis exercitium fibra suffert: hinc ad ejus remissionem ab ipso naturæ impulsu, & vivi corporis fabrica stimulamur. Sub hoc vero motu oscillatorio fistulæ motrices ipsæ ad latera conteruntur, qua frictione adeps emulgetur, & calor increscit, quo fit, ut neque vapor iste unguinosus in solidum corpus condensari, neque naturalis fibrarum proximitas turbari valeat. Fibræ vero, quo proximiores sibi sunt, eo majorem etiam vim

vim possident, eo validiora organa, ad quorum fabricam contribuunt, eo majores cordis & arteriarum contractiones, eo celerior sanguinis motus, eo major sanguinis densitas, eo felicior omnium secretionum successus. Aucto vero sanguinis circulo, intenditur etiam respiratio, qua crescente, muscoli etiam ei inservientes, diaphragma præcipue, atque abdominales fortius agunt. Sed quanta auctoritas hisce potentiis in promovendo negotio chylopoietico? e) Ex chylo autem totum corpus reficitur, atque nutritur; motus ergo corporis aucti commoda in nutriendo corpore magna esse evidentissimum. Illi ergo quorum viscera morbosa visciditas obsidet, qui refractariis cruciantur obstructionibus, quos malum f) hypochondriacum & melancholicum obruit, qui ad morbos ab illuvie ferosa oriundos g) inclinant, qui phthisi laborant, corpus suum exerceant, ita crebro illud concutendo efficient, ut si non perfectæ sanitati restitui possint, melius tamen sese habeant, & morbis nutrimenta eripiant.

a) Quodlibet corpus vi inertiae gaudet, juxta quam cum quadam ægitudine conditionem suam convertit. Ut vero corpus spatium quoddam permeare possit, medio inesse debet, cujus resistentia sit minor quantitati motus, corpori impressæ; Si enim resistentia mediæ, sive æqualis, sive major vi viva corporis, nullus etiam corpori motus, nisi forsitan reflexus, imprimi potest. Verum insita cuivis corpori resistentia semper est in ratione massæ, sive quantitatis materiæ; præterea quo plus materiæ in eodem volumine continetur, eo densius corpus, quo densius autem corpus, eo major vis ad partes ejus movendas requiritur, ergo, quo densius medium, eo majori potentia ad partes ejus separandas opus est, hinc eo plus de quantitate motus primitiva corporis perditur, eo citius ad quietem redit.

- b) Non hic de quiete quadam absoluta, sed de relativa tantum sermo est; nulla enim tam exilis est materiæ particula, ubicunque etiam versetur, quæ non continua virium actione ad motum sollicitetur. Equidem taceo, quod omnia viribus communibus ad commune centrum gravitatis urgeantur, vel ab eo repellantur, in nostra saltem terra nullum est corpus adeo compactum, quod non, sive perpetuo exhalet, vel à vi externa ætris, ignis, materiæ lucis, electricæ, magneticæ &c. in motum compellatur, ut ergo in genere quies non nisi relativa detur, & nihil aliud sit, quam tantum motus decrementum, ut amplius in Sensu non incurrat.
- c) BOERH. *Aphor. de cogn. & cur. morb.* Nunquam vero corpus citius fit cachecticum, quam quando subitæ fiunt vitæ commutationes, hinc ARETÆUS *L. 1. C. X. de caus. & sign. morb.* in præcipuas cachexiæ causas ponit, subitam ab exercitationibus quietem, & ab ingentibus laboribus otium.
- d) Sub languido enim fluidorum & solidorum motu ingestorum assimilatio in naturam liquidi vitalis impeditur: debilitas inde fit corporis, quod HIPPOCRATES jam dudum observavit, dicit enim *L. II. Cap. X. de Dieta*: „Segnitias & otium humectant, & corpus debile faciunt.“
- e) Contrarias quidem inter se vires habent alimenta, & exercitia corporis; verum inter se mixta utraque conferant ad sanitatem: „Labores ea, quæ insunt, consumere solent, cibi & potus ea, quæ evacuata sunt, explent.“ HIPPOCR. *de Diet. L. I. Cap. 2.*
- f) Tanti æstimavit motum corporis, præcipue equitationem Sydenhamus, ut eam non tantum in mitioribus morbis, sed & in Phtisi fere conelamata, & in malo hypochondriaco profuisse observavit. *In Diss. Ep. p. 426. & seq.*
- g) CAROL. PISO *de cur. morb. ab iluvie serosa P. II. C. 7.* inter ea, quæ humorum colluviem in totum emendant, recenset p. 165. exercitationem corporis, dicit enim: „longe salubrior corporis exercitatio, quam seria & non intermissa animi contentio“; & MUSIRANUS exclamat: „Utinam exercitium vendi posset à Medicis, nam ditiores evaderent!“ *Tr. Med. Lib. III. C. 19. p. 288.*

§. VIII.

Vi Musicæ etiam bruta animalia a) percutiuntur.
Quid

Quid ergo mirum est, homines, quibus natura exquisitiorem sensum dedit, ab eadem commoveri, & in eos affectus *b*) rapi, quos Musica sonant instrumenta. Eos quidem eventus, quos sive fabulosa *c*) antiquitas, sive superstitio *d*) de Musica prædicavit, silentio prætermittamus; Incumbit nobis id negotii, ut, quomodo Musica in corpus humanum agat, exponamus. Illud quidem determinatu facillimum, si prius probaverimus, sono vim esse in animale corpus, & harmoniam sonorum animam afficere, & corpus commovere posse.

- a) Ita illud animal, quod Americani *Haut*, alii à *pigritia* denominant, non nisi noctu vocem edere, atque in suspiriis suis successione tonorum musicorum ut, re, mi, fa, sol, la, simile dicitur. Vid. KIRCH. in *Musurg. L. I. Cap. 14. §. 2. pag. 26.* Dum coram indocta avicula fistula inflatur, ad sonos ejus attentissima, tandem melodiam repetit, quæ ipsi Musicus præcinebat. KAW. BOERH. *l. c. p. 298.* De equo VIRGIL. *Georg. L. III. v. 111.* canit:

*Si qua Sonum procul arma dedere
Siare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit sub navibus ignem.*

Ita GESNERUS ex Æliano refert, elephantem incessum ad Musicam composuisse, & Saltatorio habitu incessisse. *Hist. Quadrup. L. 1. p. 385.* Asinus etiam, qui tamen animalium stolidissimum creditur, Musicæ elegantias sentit. REIGN. *Entret. Phys. T. III. Entr. 3. p. 55.* CARDANUS de *Subtilit. L. X. p. 691.* ALDROVAND. *L. I. de quadr. Cap. 3.* GESNER. *l. c. de asino.* Camælos etiam Musicam sentire, docet SCHOTT. *Mag. Nat. L. VIII. Cap. 15. §. 9. p. 916.* Pisces quoque à Musica trahuntur, uti Delphines, de quibus dicit PLINIUS, Simonis præcipue nomen adamare. *Hist. Nat. L. IX. Cap. 8.* Fuerunt in piscinis Cæsaris pisces, qui ad nomen suum adnatabant. *ibid.* Inter insecta araneas & inter eas tarantulas præcipue ad sonum citharæ subsilire refert. KIRCH. *l. c. T. II. L. IX. Cap. II. Qu. III. p. 223.*

- b) Ita à Timotheo Musico Alexander Magnus in furorem eoactus fuit.

- fuit. Idem in Erico, Daniae Rege, alius effect. KIRCH. *l. c.*
P. II. l. IX. Cap. 3. p. 216. Pythagoras è contraria parte ani-
 mi perturbationes Lyra sedavit. SENECA, *de Ira. l. III. Cap. 9.*
 Achilles etiam conceptam in Agamemnonem indignationem ci-
 thara fefellit, HOMER. *Iliad. l. I.* Idem fecit Clinias Pythago-
 reus, quoties in iracundiam inclinabat. ÆLIAN. *Var. Histor.*
l. XIV. Cap. 3. Terfander Musica feditiosos Spartanos compo-
 suit. PLUTARCH. in *Tract. de Musica in fin.*
- c) Ita Orphea, Amphionem Linumque, lapides & feras commo-
 viffe Lyra, dicuntur; illud autem de barbaris & agrestibus homi-
 nibus in societates, & civitates coactis Musica vi, subintelligen-
 dum esse, docet HORATIUS *de Art. Poet. v. 423.* *Et seg. ejusdem*
 sententiæ est Auctor Orphei, qui à nonnullis Virgilius dicitur.
 Hinc est, cur ex Platone pronunciet CICERO *de Leg. l. II. Cap. 15.*
 „Nihil tam facile in animos influere, quam varios canendi sonos,
 „quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem;
 „namque & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum
 „remittit animos, tum contrahit.”
- d) Incantamentis semper Musicam addiderunt Magi, sive ut ad-
 stantibus terrorem incutiant, sive ut eo melius prestigias velent.
 Ita de Saga refert TIBULLUS *l. I. Eleg. 2. v. 45.*
Hæc cantu finitque solum, manesque sepulchris
Ehuit, Et repido devocat ossa rogo.
- HORAT. *Epod. XVII.* Canidiæ veneficæ fatetur, *vers. 29.*
Ergo negatum vincor, ut credam miser.
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissipare venia.
- Musicam etiam ad solvenda veneficia adhibuerunt, ut recte
 concludat. KAW. *l. c. pag. 362.* „Dubito, an omnia, quæ de
 „incantamentis dicuntur carminibusque, non sint adscribenda
 „Musicæ effectibus, quia eadem excellabant veteres Medici.” Vana
 vero sunt penitus, quæ ab inflatis fistulis ex caulibus planta-
 rum morbis specificè oppositarum promittit PORTA in *Mag. Nat.*
 Sonum nempe istorum caulium morbos specificè pellere ex cor-
 pore. KIRCH. *de Musurg. p. II. l. IX. Cap. VIII. pag. 229.*

§. IX.

Sonus non tantum per aërem, sed etiam per
 alia media sive sint fluida a), sive sint solida b),
 dum-

dummodo elasticitate gaudent & duritie, propagatur. Neque etiam in humoribus nostris, nec in cavitatibus corporis abest aër, qui, licet inter globulos humorum contineatur, vel in cavitatibus nostris à vi liquorum exhalantium ita coërceatur, ut parum rarefcere, aut expandi possit, tamen pressione aëris externi imminuta, vel calore corporis aucto, utique expanditur, licet ergo aër ille, quem Philosophi fixum dicunt, inter globulos sit coërcitus, & una cum iis promoveatur, licet resistentia, quam motui humorum opponit, sit exigua, non tamen ex eo sequitur, quod aër suam naturam elasticam exuerit *d*), & non æquilibrium cum aëre externo, sive ambeunte athmosphæra conservet. Verum præcipuum soni vehiculum est aër, hinc ergo & ille, qui vasis inest, & ille, qui in pulmonali & alimentario canali est, omnino tremat, & in similes undas, ac aër athmosphære, figuratur. Vasa vero nostra, præcipue arteriæ, & fibræ, & nervi, atque ossa elastica sunt corpora, hinc ergo vi sonorum percutiantur, & ad oscillatorios motus incitantur *e*). Contrahuntur ergo vasa, promovetur humorum motus, stimulantur nervi, nervei fluidi cursus incitatur, fibræ contrahuntur, robur corporis increfcit *f*). Inde videmus rationem, cur Musica, præcipue tympanorum strepitus, tubarumque clangor, cur acuti tibiæ soni, & tormentorum fragores animum & ferociam addant militibus, non timidis pro patria mori *g*), cur à motibus, qui juxta numeros Musicos instituuntur, minus

minüs fatigetur corpus, quam ab aliis ejus exercitiis; nempe cum fluxus liquidi nervei per conculos nervos acceleretur, & eis contiguæ fibræ contrahantur, robur partibus additur, & Cor ipsum virium incrementum capit, ut eo facilius resistentias ipsi oppositas superare possit, & corpus ad diuturniores labores sustinendos idoneum reddatur.

- a) Per aquam propagari sonum, varia experimenta probant. *III. NOLLET. Physf. T. III. p. 417. & Hist. de l'Acad. R. de Scienc. de Par. 1743. p. 218.* observationes in Mergis factæ, seu Urinatoribus, qui in fundo maris in aëre stantium voces audivere. *Journ. des Scav. A. 1678. p. 147. & experimenta Nobil. ARDEON. Philos. transact. 486.* Porro cerevisiam, oleum raparum, spiritum vini, muriam sonum propagare expertus est Cl. *MUSCHENER. Introd. in Philos. Nat. T. II. §. 2767. p. 931.* hic & experimentum *REIGNAULT* referri potest, qui observavit, in vitris variis liquoribus repletis varium tonum edi, p. 58. *T. c.* idem Experimentum instituit. *KIRCHER in L. IX. Part. I. in fin. pag. 212.*
- b) Si quis ad extremitatem trabis, licet 50 pedes longa sit, locutus sit, submissa quamvis voce, & alteri extremo ab alio auris admoveatur, vox loquentis ab auditore intelligitur, cum ab hominibus in intermedio spatio positus audiatur nihil. *MUSCHENER. l. c. §. 2220. p. 908. NOLLET. l. c. p. 419.* Ita Mercurius ad extremitatem superiorem tubi Toricelliani aëre vacui hermetice clausam allidens, sonum edit; idem facit in tubo ab aëre vacuo aqua. Per metalla etiam sonum propagari, subtili experimento probavit *S. GRAVES. Physf. T. II. §. 2329. exp. 4.*
- c) Aërem vero internum adhuc elasticum esse docet expansio vasorum, eorumque contractio sub frigente vel calente corpore; docet illud etiam, quod homines sint alacriores, qui in aëre valde elastico, quam qui in dilatato & minus elastico vivunt.
- d) Docet illud animal, quod sub antliam pneumaticam ponitur, & circa quod aër ambiens extrahitur; expandit sese aequilibrio destructo aër, tota animalis superficies tumet, respiratio fit anhelosa, anxietates oriuntur circa præcordia, vomitus fiunt, alvus exoneratur; tandem cum totum corpus sit expansum, & neque diaphragma in abdomen descendere ob intestinorum distentorum pressionem

nonem, neque pulmones dilatati sese contrahere valeant, respiratio omnis animali denegatur, sanguinis circulus aboleter, convellitur animal, apoplecticum fit, moritur; ex his ergo ea phænomena explicare possumus, quæ hominibus accidunt, qui altiores montes ascendunt, nempe similes effectus iis, qui animalibus in vacuo contingunt, non tamen adeo funesti, quippe aer licet admodum tenuis, vim adhuc elasticam possidet, quam semper magnam esse, etiam in quam maxime rarefacto ostendit s'GALVES. l. c.

- e) Hi effectus eo fortiores, quo majori celeritate & intensitate soni se excipiunt. *Hist. de l'Acad. Royal. de Science de Paris 1737. p. 138.* & quo magis aer sive calore rarefiat, sive compressione condensetur. *MUSCHENBR. l. c. §. 2234. seq.*
- f) *MUSCHENBR. §. 2267.* probat, quomodo corpus nostrum vehiculum soni esse possit; „Omnia enim corpora, quæ universoni in octavis, quintis, tertiis, cum acutioribus, tum gravioribus tenusa sunt, quam corpus percussum sonans, consonare feruntur.”
- g) Hinc *Illustr. Marechallus Comes de Saxonia* dicit: tibiaram & reliquorum instrumentorum bellicorum sonis militum animos intendi, & corporum vires intendi. *Reveries pag. 27.*

§. X.

Alia autem ex ratione Musica vim quandam in corpus humanum exerit; omnis Musica cujuscunque etiam sit generis, dummodo naturam rei, quam pingit, exprimat, & genio auditorum accommodata sit, animum in affectus rapit suaves, & corpus perfundit voluptate. Nulla vero voluptas sine gaudio, quantæ vero sint gaudio vires in corpus humanum superius diximus; lætante vero corpore, uti ex analogia remediorum exhilarantium concludimus; strictura solidorum comminuitur, sphincteres tubulorum exhalantium solvuntur, aperiuntur fistulæ medullares cerebri, hinc liberior fit humorum circulatio, transpiratio potissimum cutanea

C

au-

augetur, aqua, qua scatent forte humores, è corpore eliminatur, nerveum fluidum liberius per tubulos medullosos fertur, suavi exinde titillatione percutiuntur, fibræ, quas nervi movent, vim novam accipiunt, robor additur membris, & visceribus, hinc obstructionibus obviam itur, & melancholice labi, acria è corpore eliminantur, & cum à vasis æqualiter plenis extendantur cutis & cuticula, vasorum resorbentium oscula constringuntur, quæ sub cute flaccida hiare amplius, & exhalationes rerum externarum exinde facilius inhaurire observata sunt. Eadem ratione agit Musica in corpus nostrum *a*); hinc ergo videmus, cur Musica dolores compescat *b*) podagricos, *c*) Ischiadicos *d*) aliosque? cur *e*) phreniticis, *f*) maniacis, *g*) melancholicis, hysteris conducatur, cur in peste *b*) commendetur, quare in moribus *i*) venenatorum animalium præsidio & solamini sit, dum enim Musica tensionem fibrarum, & nervorum, à qua dolor nascitur, solvit, causa sublata effectum etiam tollit, dum sensorium commune mutat, & ab ingrata rerum memoria ad suaviores invitat, five saltem ab inhærentibus quasi imaginationi objectis avocatur, melancholicis, maniacis, hysteris collaturam fore, perspectu facile; & quia dilatat vasa cerebri, phrenitidem, quæ à strictura tubulorum cerebralium non raro oritur, ab illa curari interdum, quis dubitabit? Cum vero & exhalationem intendat, vasa vero resorbentia contrahat, quare non in moribus contagiosis conferret, cum & miasmatis vim à

corpore vivo depellat, & contagium forte corpori ingestum per vim exhalantium vasorum auctam ejiciat. Eodem modo & contra venenatos morsus animalium conducit, cum aut acre illud per sudores excitas eliminat, aut cum alexiteria simul adhibeantur, efficiat, ut hæc medicamina contractione vasorum imminuta, vasa eo facilius intrare, & à corruptione humores præservare valeant. k)

§. IX.

- a) In magnis morbis solatio esse Musicam, docent ROLFING. *Ord. & betb. med. Spec. L. XIV. S. 3. C. 19. p. 1032. Act. Erud. Lips. A. 1683. Maj. p. 397. & 1711. Mart. p. 214. SINIBALD Genéb. L. V. Cap. 3. Traß. II. p. 486. ZACUT. LUSIT. p. 790.*
- b) Mufices efficaciam in podagra laudat LANG. *op. T. III. Cap. 94. BAGLIV. Prax. Med. de fib. motr. Cap. 14. p. 390. & PRCHLINUS in genere gaudium antipodagricum vocat. Obs. L. III. Obs. 26. p. 467.*
- c) FRANCKENAU *Satyr. Med. p. 495. in dolore coxendicis profuit Musica. LANG. l. c. Cap. 94.*
- d) In aliis doloribus conduxisse legitur in *Act. Edimb. T. VI. art. 77. p. 554. in phthisi etiam contulisse refert. LANG l. c.*
- e) Historia phrenetici per concentus musicos curati legitur in *Hist. de l'Acad. Royal. des Sciences, A. 1707. p. 9. & apud PAREUM Oeuvers p. 47. Aesclepiades etiam phreneticos curavit carminibus, & symphoniis. Vid. ALEX. AB ALEXANDRO Dier Gornial. L. VI. c. 5. idem de se testatur GALENUS de Sanit. tuenda. L. I. Cap. 8.*
- f) Infaniam ex amore Musicæ curatam BOURDELOT *Hist. de la Musiq. Cap. III. p. 48. refert.*
- g) Melancholici Mufices ope curati. ALBRECHT, *de effect. Musiq. §. 114. Le Conte Pr. p. 34.*
- h) Ita pestis Spartis faviens Mufices ope à Thaleta Cretensi profligata fuit. *ÆLIAN. var. hist. L. XII. Cap. 50. DIEMERBRORCK de peste L. II. Cap. 7. not. XI. p. 102. PAUL. ZACH. quest. leg. p. 274. febris maligna musica curata. E. N. C. D. III. A. IX. & X. Obs. 27. p. 41.*
- i) Contra viperarum morsum Musicam laudatam fuisse legimus apud *ALULUM GELLIVM Noct. Atticos L. IV. Cap. 13. COEL. RHOD. Antiq.*

Antiq. Lect. L. VIII. Cap. I. ARISTOT. Polit. L. VIII. Cap. 3. VALES. de Sacra Philof. Cap. 28. A. CASTRO. Med. Polit. Cap. 16. negat vero illud Cl. REDI obs. de vip. A. N. C. Dec. I. A. I. p. 24.

*) Quamvis autem plerique hominum à Musica bene sese habeant, tamen alii ob Idiosyncrasiam peculiarem à sonis abhorrent, sive illa à praternaturali nervorum acusticorum irritabilitate, sive ab hæreditario vitio, sive à læsa imaginatione, sive alia quacunque ex causa proveniat. Ita HENR. AB HEER *Observ. 29. p. 253.* de puella nobili recenset, quæ, quoties campanæ sonum audiebat, illico animi deliquio laborabat; & SCALIG. *exerc. ad Card. 344.* refert de equite Vascone, qui phormingis sono audito, urinam mingere cogebatur. Idem in Principe, utprimum lyram audiverit, contigisse refertur in *A. N. C. Dec. I. A. I. p. 262.* Ita de rustico narrat LANZONUS *Oper. T. III. anim. 102. p. 580.* qui percussu tympano in cephalalgiam incidebat. Ita vomitus à Musica recensetur. *E. N. C. Dec. III, A. III. Obs. 182.*

§. XI.

Postquam ergo effectus, quos sive corporis exercitium, sive Musica in corpus humanum edit, exposuimus, facile nunc erui possunt eæ mutationes, quæ à Saltatione speciatim dependent; sive enim grave sit & sublimius Saltationis genus, sive fit jocosum humiliusve, plerumque a) animi lætitiã indicat, & totum corpus grata commotione concutit; præterea Musici concentus modique graduum, incessuumque velocitatem determinant, & suavi, qua sese semper commendant, varietate tonorum in delicias voluptatesque commune sensorium, animumque resolvunt; variæ interim corporis inflexiones, & circumductiones, cum sine actione fluidi nervei intensâ fieri nequeant, omnia ea commoda perficiunt, quæ ab aucto corporis exercitio

ercitio sperare possumus. Verum sine dubio brevi ab hac exercitatione homo defatigaretur, nisi harmonia Musica, quæ gaudia invitat, risusque jocosque, uti §. anteced. inuimus, strictura fibrarum, & attritus fluidorum solidorumque nimius immi-neretur. Præterea cum Saltatio naturam cum venustate exprimit, atque lævitatem atque flexilitatem membris conciliat, homines à prima juventute in ea instituendos esse *b)* magni Medici suaserunt, ut nempe præter habitus elegantiam robur quoque membris, incessivique firmitas adderetur, & corpus *c)* per hilares & festivas commotiones, quas præ aliis diutius sustinemus, fortiores etiam labores sine incommodis sufferre consuesceret. Præcipue autem Saltatio convenit sexui sequiori, *d)* & omnibus, qui sedentariam vitam vivunt; tales enim homines magis ad obstructions inclinant, cum lentor & viscedo humoribus, laxitas fibris, visis & visceribus, corporique languor concilietur, quanta vero incommoda ex hisce vitiis oriantur, superius §. 7. exposuimus, cum de neglecto corporis exercitio diximus, & sine dubio in omnibus iis morbis conducere potest, in quibus Musicam laudavimus, & corporis exercitationem. Attamen iis non est concedenda, qui à morbis attenuati sunt, & sive gravi viscerum abdominalium, sive pulmonum vitio laborant, neque vertiginosis, neque iis, quibus sanguis ex abundantia peccat, facile enim hi in febres ardentes, *e)* & apoplexias sanguineas incidunt.

- a) Non tamen ubivis terrarum Saltatio ex gaudio nascitur, ita legitur in Itinerario P. PELLERAT. T. II. in America meridionali esse gentes, qui tristitiam saltando indicant.
- b) ANDR. I. C. RAMAZIN. *de princ. valet. tusula l. c.*
- c) BAGLIV. *de morb. success. Cap. XIV. p. 390.*
- d) HEBENSTR. I. C. BAGLIV. *Dissert. de Turant. Cap. VII. p. 616.* refert, plures fœminas chloroli vel hysterico morbo laborantes, sanatas fuisse Saltatione.
- e) Cum enim sanguis per motum concitatum in vasa minorum ordinum intrudatur, cum neque redire facile, neque amplius procedere possit, obstructiones, febres, inflammationes generat, imo dum sanguis ibi stagnans acrimoniam concipiat, vasa ipsa eroduntur, fit extravasatio, quæ, si in vasis cerebri accidit, cum liquor ille medullam premat, apoplexias ibidem fatales generat.

§. XII.

Saltationem vero immodicam omnia fere incommoda sequuntur, quæ à nimia corporis exercitatione oriri, experientia demonstravit. Sanguinis enim motu præternaturaliter aucto, & largioribus exinde sudoribus excitatis omnis humorum aqua a) diffatur, sanguinis ergo densitas nimium augetur, globuli rigescunt, nec sese amplius ad figuram & angustias vasorum capillarium conformare possunt, hinc ergo obstructiones, febres, b) inflammationes, abscessus, gangræna, sphacelus, mors. c) Præterea cum sub corporis agitatione nimia aqua, fibras lubricans, emulgeatur, & dissipetur, aliæ quidem fibræ inter se invicem concresecunt, vapore exhalante gelatinoso in membranam solidam d) calore coacto, & fibrarum uniones accelerante; aliæ vero attritu attenuantur, ut à levibus etiam viribus disrumpantur, quæ si etiam uniun-

uniuntur iterum, tamen callosæ & rigidæ fiunt, vasa ex fibris istis confecta minus flexilia, angustiora, breviora, liquidorum vi dilatabili nimium resistentia; unde arteriæ, contracto corde, vix distenduntur, æquabilis sanguinis motus intercipitur, adeoque secretiones non succedunt, impeditur perfecta cordis evacuatio, prolypi sanguinis generantur, suffocatio, mors; e) Acres etiam partes, quas sanguinis motus validior humoribus addit, & terrestres moleculæ, quas à solidis vasorum parietibus attritu aucto fluidorum impetus abradit, cum reliqua humorum massa feruntur, & quia angustias vasorum seroforum superare nequeunt, stagnant ibidem, nervos vicinos irritant, dolores pro varia parte affecta varios arthriticos, f) podagricos &c. generant. Præterea illa præcipue chorearum genera, ubi validissime corpus circumagitur, cum liquida densiora magna vi g) à corde, quasi à centro, versus peripheriam corporis & vasorum exhalentium fecernentiumque ostia compellant, sanguinis secretiones naturales h) & præternaturales augent, vertigines creant, apoplexias, mortem. i) Hisce vitiis secundarium quoddam accedit, quod, cum exsiccantur fibræ linguæ, œsophagique, sitis indoriatur, quam cum incauti sæpe corpore calente, frigido potu fallere tentent saltantes, sive in colicas incidunt, sive cum subito frigore potus fibræ constringantur, & transpiratio supprimatur, acris ista materia ad pulmones lata, canales obstruit aëreos, & sanguineos, inflammationes k) pleuritidem,

dem, peripnevmoniam, l) vomicas, pthifin, mortem, efficit.

- a) Corpus enim humanum in omni sua superficie tam externa quam interna vasa exhalantia habet; quæ ex sanguine recipiunt & excernunt tenuissimum humidum, hinc in omnibus morbis, ubi calor corporis increfcit, exsiccantur corpora, hinc HIPPOCRATES *de Morb. L. I. in fin.* dicit: „Quicumque ex febre ardente moriuntur, ex ficcitate pereunt, „
- b) Febris ex Saltatione. *Al. Ernd. Lips. A. 1710. Maj. p. 207.*
- c) BOERH. *aphorif. de morb. cur. §. 100.*
- d) Omnes nostros humores, in quibus gelatina, sive crassamentum prædominat, pronos esse in coagula, atque tenuissimo evaporato in membranas cogi docet HALLERUS *Physiol. Imæ Lin. §. XV.*
- e) BOERH. *L. c. §. 52.* & VAN SUIET. *T. I. p. 65. §. 66.*
- f) Hinc observavit LANGIUS Saltatores ad podagram pronos esse, *Oper. T. II. Cap. 7. p. 41. §. 6. not. 2.*
- g) Interempta esse animalia, quando per aliquod tempus in gyrum fuerunt agitata, experientia docuit; felis quidem eodem modo tractata non perit, male tamen sese habuit, & vomitum experta est. Ill. NOLLER *Phys. T. II. p. 58.* ibidemque incommoda percursionis, sive illius palestræ exhibet, quæ fit lancea annulum trajiciendo, & oscilli, quod teste Festo ludi genus est, quo religati de ligno arboreve funibus in aère librati subvertuntur.
- h) Saltationem mensis tempestive movisse, observavit RIEDL, in *Lin. Med. An. 2. m. Jul. Olf. 3. p. 321.*
- i) Post Saltationem subitanea mors. RIEDL, *Lin. med. Ann. V. Maj. Observ. 17. p. 495.*
- k) DIEMERBROECKIUS observavit, hominem, qui media ætate fœnum colligebat, & valde fucibat, cum largum cerevisiæ frigidiæ haustum bibisset, in pleuritidem lethalem illico incidisse. *Anat. L. II. C. 13. p. 309.* Summo ergo jure LANCISIUS *de subitan. mortib. L. I. Cap. 8. p. 12.* inter subitæ mortis causas refert frigidi potus usum, excalefacto corpore.

l) Hip-

1) HIPPOCRATES in *Coacis*, n. 398. inquit: „Exercitata corpora
 „sac densa citius à pleuriticis & peripnevmonicis morbis pereunt,
 „quam inexercitata.“

§. XIII.

Est tamen singulare quoddam morbi genus,
 in quo Saltatio immodica & ad summam quoque
 defatigationem prodest; morbus ille *Tarantismus a)*
 appellatur. Apulia enim indigena est quædam
 araneorum species, *Tarantula b)* dicta, quæ urente
 canicula *c)* non tantum in homines, sed in cætera
 quoque animalia *d)* venenato morfu *e)* sævit. Illud
 veneni genus, quod alii ad fermenta *f)* referunt,
 hi frigida *g)*, isti calida naturæ esse contendunt,
 tum pro varia læsorum *h)* temperie, tum *i)* pro di-
 versa animalculi ipsius indole, tum pro majori *k)*
 minorive æstus gradu, varia in corpore humano
 symptomata generat: dum isti in coma soporosum
l) & lethargum incidunt, illi inertia & torpore *m)*
 corripuntur, hi vigilant *n)* semper & cursibus &
 agitatione corpus defatigant, in risu alii atque ca-
 chinno, in fletu alii lacrymasque solvuntur *o)*.
 In omnibus tamen *p)* caput præcipue cor & stoma-
 chus afficiuntur, turbantur sensus, stagnant in va-
 sis capitis humores, cerebrum comprimitur, sen-
 sorium commune sopore quasi sepelitur. Pluribus
 vomitus accedunt, & si non cito succurritur, ene-
 cantur. Contra hunc morbum autem singularis ef-
 ficacia est Musica *r)*, qua sensorium commune ner-
 vique adeo irritantur, ut sponte in saltatorios mo-
 tus

D

tus

tus solvatur corpus, nec nisi silentibus fidibus, aut veneno ex corpore per sudores largissimos expresso, aut solutis penitus viribus concidant. Non tamen semper illud malum unica solummodo saltatione absolvitur; reedit non raro quotannis, illo præcipue tempore, quo homines læsi fuerunt, tunc tristes incedunt, in stertores, comata, veterum incidunt, & eodem modo, quo antea ægrorant; excitantur iterum Musica, & saltant, donec venenum expulsum fuerit s). Saltationem etiam contra Apulorum t) scorpionum ictus conducere BAGLIVUS refert.

- a) Hunc morbum post SCALIGERUM de *Subtilit. ad Cardan. Exerc.* 81. p. 58. KIRCHERUM *Musurg. L. IX. P. II. p. 218. seq. Cap. IV.* atque GRUBE de *ictu tarantule*, optime descripsit BAGLIVUS in *Diss. pecul. opp. p. 605. & seqq.*
- b) Ejus anatome habetur apud BAGLIV. *l. c. Cap. 3. & 4. p. 608.* ad phalanga eos refert. JONSTON. de *insect. L. II. p. 102. & SCALIGER. l. c.*
- c) BAGLIV. *Cap. V. l. c.*
- d) ÆLIANUS *var. lect. L. I. Cap. VIII.* à phalangiis cervos ictos mori, nisi hederam sylvestrem voraverint, recenset.
- e) Neque morfu tantum enecat, sed etiam liquores exitiales sunt, in quibus suffocata fuit. EPIPHAN. FERDIN. *Hist. Med. LXXXI. p. 260.*
- f) GRUBE *tr. cit. Art. II. Sect. I. p. 24.*
- g) CARDAN. de *Subtilit. L. IX. p. 635.* hinc eum jure castigat SCALIGER. *l. c.* cum non tantum in lethargum, verum etiam in Saltus & varias corporis agitationes tarantatos cogat.
- h) KIRCHER. *L. IX. Cap. V. p. 221.*
- i) KIRCHER. *l. c.*
- j) *Mista.*

- k) Estate enim tantum & solummodo in siccioribus Apuliae campis
Messores & Venatores aggredi, & in mortis periculum præcipitare
BAGLIVUS l.c. C. H. ostendit.
- l) CARDAN. l.c.
- m) GRUBE. Sect. III. Art. I.
- n) SCALIGER. l.c.
- o) Alii etiam colore uno præ aliis bene se habent. Vid. KIRCHER.
l.c. Quest. II. p. 222.
- p) BAGLIV. Cap. VII. p. 616.
- q) Videatur BAGLIVUS, GRUBE, KIRCHER, locis citatis.
- r) Cum enim illud virus, ut BAGLIVUS ibidem notat, præcipue in
tubulos cerebri agat, & modo lentorem, mox vero acrimoniam
quandam fluido cerebri addat, ope Musices in titillationem &
tremorem medulla cerebri sollicitatur, qua concussione obturans
tubulos cerebrales virus in motum cietur, cerebrum irritatur, in
sensorio communi Saltationis idea ex percepta Musica nascitur,
qui motus per omnes nervos ex Encephalo oriundos distribuitur, at-
que ad saltandum totum corpus invitatur, quibus adminiculis
sanguinis circulus augetur, & largi sudores ex tota corporis su-
perficie propullulant. His venenum ex corpore eliminatur, nisi
adeo artus vinculis cerebro inhaerit, ut non nisi repetita Salta-
tione expelli valeat. KIRCHER. l.c. EPIPH. FERDIN. Cap. I.
- s) Alexipharmaca etiam simul interne exhibentur. BAGLIV. l.c.
Cap. VIII. & IX.
- t) BAGLIV. l.c. histor. III. & IV. p. 639.

§. XIV.

Simili fere facie sese sistit, paremque in C. H.
tragoediam ludit *Chorea Sancti Viti*, quæ à PARA-
CELSE a) *Chorea lasciva* dicta fuit; illud morbi ge-
nus oppido rarum brevibus nunc exponendum est.

D 2

Est

Est vero morbus convulsivus, qui vel ex peculiari humorum crasi *b*) idiopathice aggreditur homines, sive symptomatice aliis morbis supervenit; est vere involuntaria membrorum corporis agitatio, qua ægri in saltus, atque gesticulationes saltatorias erumpunt; hicce morbus vel inconstanti tempore homines adoritur, vel fixo revertitur, hinc in vagum & periodicum distinguitur *c*). Ab epilepsia in eo differt, quod, qui comitiali morbo laborant, licet vix non omnes corporis motus *d*) interdum æmulentur, tamen finito paroxismo actorum in eo non recordentur, verum *Vizista*, ut illos vocat MANGET *e*), eorum, quæ sub corporis gesticulatione gerunt, memoriam conservant, sese vero uti jamjam induximus, varia corporis commotione & saltatorio habitu demonstrat morbus, neque etiam ardor ille atque libido salendi desinit, dum sive coërceantur, sive ex lassitudine in somnum & decubitum cogantur *f*), quoniam & tunc temporis adhuc corpus exagitant. Raro tamen illud morbi genus idiopathicum est, plerumque *g*) verminosos, hypochondriacos, melancholicos, maniacos, hystericas *i*) corripit *k*). Lethalis interdum morbus est, præcipue si causa morbi in cerebro latet, & à convulsionibus prægressis derivanda est; quando autem aliis morbis ceu symptoma accedat, lethum per se intulisse *l*) raro visus est. Non multi tamen in cura hujus mali erimus, quoniam de idiopathica fusius egit Cl. MANGET; talis autem sit præscribenda

benda in symptomata, quæ morbo primario con-
veniant.

- a) PARACELS. de *Morb. ament. Tract. I. Cap. III.* reliquam syno-
nymiam & etymologiam mali vide in *Diss. G. W. WEDDEL. & So-
RANI de Chor. Sti Viti. Cap. I.*
- b) Qualis fuit ista pestis, quæ A. 1324. per 4. annos saevit. CA-
MERAR. *bor. subcis. Cent. II. Cap. 81.*
- c) HORST. *L. II. de Morb. Cap. Obs. 48.*
- d) BOERH. *l. c. §. 1073.*
- e) MANGET. *Bibl. Pract. L. III. p. 557.*
- f) MANGET. *ibid.*
- g) A. N. C. *Dec. I. A. II. p. 54.*
- h) TULP. *L. I. p. 24. Obs. 16.*
- i) FISCHER. *Consult. VII. T. I. p. 53.*
- k) RIEDLIN. *Cur. Med. 133.*
- l) WEDDEL. *Diss. cit. p. 15.*

§. XV.

Quamquam autem mira sunt symptomata tum
tarantilini tum choreæ S. Viti, tamen adhuc ma-
jores sunt tenebræ, quibus causæ horum phænome-
norum involvuntur; licet enim experientia demon-
stret, animam à corpore, & corpus ab anima pati,
attamen quomodo res tam diversæ se invicem com-
mutent, nulla arte, nullo exemplo, nullo ratioci-
nio satis explicari potest.

Tangere enim & tangi nisi corpus nulla potest res.

D 3

Gut-

Guttula tamen sanguinis in cerebrum effusa, silent
actiones corporis humani, corpus iners & sine vita
prostrernitur. Quam miros in humana machina ef-
fectus Idiosyncrasia perferunt! Quantas in corpore
commutationes anima commota exsequitur!

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Nos, ne in re tam seria lufuri videamur, pedem
hic figimus, ut operam levissimam expectatus jam
diu coronet

FINIS.



Strapburg, Diss., 1760-75



f

sb.





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

1762,1
SALTATIONE
SANITATEM CONSERVANTE,
MORBOS INDUCENTE, INDICANTE,
CURANTE,

4
QUAM
EX DECRETO ET AUTHORITY
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMA ARGENTORATIENSIS
UNIVERSITATE
PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
JOSEPHUS LUDOVICUS DORER,

BADENSIS-HELVETUS,
DIE XXVII. NOVEMBRIS A. R. S. MDCCLXII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, ex Officina Universitatis Heitziana.